ea nocte posse deleri, si improuisus confecto per noctem itinere dispersos atque sopitos adoriretur. Hoc nuncio maxime lætatus Otho, Dii inquit qui à Decimo dignitatis initia præbuerunt, non inani procul dubio loci omine promissam nobis de hostibus victoriam dabunt: atque ita tota re ad consilium delata, singulari omnium alacritate decernitur, non pretermittendam rei gerendæ occasionem, & eo quidem ardentius atque audacius, quòd & antea per exploratores de Cassoni consilio atque itinere certius cognouerant. Nihil enim æque metuebant quàm aperto in campo manus conferere cum Germanis equitibus, quorum vim atque impetum duce præsertim Cassono, iam tribus in præliis ferre nequiuissent. Otho, vt à cædibus impollutas seruaret manus, Ricardo Languſco copiarum Imperium dedit, ſuperinduitque sibi lintheam stolam, sacerdotali habitu multis striatam rugis, præferrique sibi iussit argenteam crucem veluti pacato itinere, Sacri Imperii sui sedem aditurus. Magno demum silentio de secunda vigilia Ricardus castra mouit, tribusque fermè horis ad Serenium vicum est peruentum: inde præmissi speculatum expediti equites, ducibus agricolis, non multo post renunciauêre apud hostes, vt in ipso conticinio accidit, cuncta quieta nocturnique silentii plena, conspici tantum semiextinctorum ignium fulgorem, nec exaudiri castrorum fremitum, ita vt nec ad ipsos quidem pagi aditus frequentium vigilum stationes esse iudicarent. His diligenter exploratis, & instructis ordinibus priusquàm diluceſceret, in conspectum oppidi se dedêre, oppressis aliquot excubantium. Id sine facibus iter, & silenti quidem Luna confecerant, ne ab alta sacræ turris specula, patentibus in campis vaga lumina cerneretur. Eo inopinato hostium aduentu exterritus Napus, vix spatium habuit ad induenda arma: Tubarum tamen clangore, & pulsu tympanorum cuncti excitantur. Pontius Prætor legionem nondum plane instructam in apertiorem locum educit, equites aggregantur, magnis clamoribus pugna committitur: pugnabat in hac parte Languſcus admirabili virtute, interfectoque Pontio prætore, stratisque vexillis, legionem cum multa cæde pepulerat, quum altero egressu & anguſtiore quidem via prouectus in aciem Napus irrumpentibus Comensibus occurrit, vt eum Fortuna Simoni infensissimo hosti obiicere videretur. Eo in loco summa contentione aliquandiu dimicatum, quum Turriani proceres in prima acie, de Imperio, de vita, fortunisque omnibus dimicarent. Ex aduerso autem Simon & Lucterius Rusca incitati efferatique diuturno inimicæ gentis odio, in aduersos vesano impetu deferrentur. Inalbescente iam cælo Andreottus Turrianus interficitur, Franciscus qui hosti, equi frenum comprehendere auso, dextram ingenti gladio detruncarat, multosque huc & illuc concitato equo vulnerarat, cuspide in inguen conjecta confoditur, Napus ipse equo deturbatus quum in purpu-

rea

(c) 2007 Comunidad Autónoma de La Rioja